



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 5. An sit aliquis habitus amicitiae acquisitae erga Deum, vel
proximum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

positio. cedit de perfectionibus, quæ præ se oriuntur ex vi sione Dei. Dices. Omnes perfectiones numeratæ sunt extrinsecus charitati, sola autem intensio spectat ad eius substantiam, ergo hæc præponderat reliquis. Respondetur. Si Metaphysice de perfectione caritativa loquamur, ita est: attamen loquendo humano modo prout charitas consideratur in ordine ad bonum, & convenientem usum suarum affectionum, dicitur charitas perfectior simpliciter in statu patris. Obijciens: potest esse charitas viæ tanta, ac alijs perfectionibus coniuncta, vt confirmationi in gratia, præseruationi ab omni peccato cum magnis auxilijs, & excitationibus, &c. vt omnibus pensatis etiam humano modo, possit perfectior existimari, & magis prudenter estimari, quam remissa charitas Beati. Durandus in 1. distinct. 17. quæst. 9. ad 1. indicat de potentia absoluta non repugnare; quod si ita est, plane ita iudicandum esset de charitate Virginis in via, respectu pueri videntis Deum: tamen quia res est de modo loquendi, loquendum est cum omnibus ex fundamentis illius principij, quod quoad perfectio est superioris ordinis, quantumvis crescant alie inferioris ordinis, non attingunt ad æqualitatem.

SECTIO V.

Vtrum sit aliquis habitus amicitie acquisita erga Deum, vel proximum.

Conclusio. 1. Dico primo. Per naturales actus dilectionis Dei Authoris naturæ potest homo acquirere habitum ad similes actus inclinantes. Ratio est, quia licet voluntas habeat naturalem inclinationem ad amandum Deum, plusquam se: tamen habet inclinationes alias, quæ magnam difficultatem afferunt bono, & facili vsui illius inclinationis prioris: habitus autem generatur vbi cumque sunt huiusmodi inclinationes quasi se inuicem impediennes. Dices: quid si illa difficultas esset iam superata per alias virtutes? Respondetur in statu naturæ lapsæ nunquam ita perfici omnes virtutes, & inclinationes, vt tollatur omnis difficultas; in statu vero naturæ integræ essent sublata omnia impedimenta, & ideo aliqui putant in eo statu non fuisse necessarium hunc habitum; sed dicendum potius est illam naturæ integritatem inter alia petijisse concursum omnium habituum, quorum homo natura sua est capax, & qui perficiunt omnes hominis bonas inclinationes. Vnde necessarius esset habitus iste, & ille partim superat illam difficultatem.

De hoc in tractatu de opere sex dist. lib. 3. c. 1. 2. Dico secundo. Hunc habitum esse virtutem, & perfectissimam inter omnes, quas voluntas suis actibus acquirit: imo si cum virtutibus naturalibus intellectus compararetur, illas tam in genere entis, quam in genere virtutis superare, vna excepta sapientia, quæ in cognitione perfectissima Dei naturaliter consistit, & in genere entis perfectior est. Totum hæc conclusio patet ex dictis de charitate infusa, nam est eadem proportio illius ad virtutes infusas, & huius ad acquisitas. Neque refert quod Philosophi non meminerint huius virtutis, non enim satis intellexerunt amorem Dei super omnia, vel confuderunt hanc virtutem cum religione.

Conclusio. 3. Dico tertio. Hanc virtutem respectu Dei esse vnam: & eadem potuisse diligere proximum propter Deum. Ratio est, quia obiectum formale est vnum, quod per se primo applicatur Deo, & secundario applicari potest proximo. Et patet etiam à simili de habitu charitatis.

Conclusio. 4. Dico quarto. Hic habitus non habet propriam rationem amicitie hominis ad Deum finem naturæ. Ita loquuntur communiter Theologi, censent enim sine charitate infusa nullam esse veram amicitiam inter Deum, & hominem, quod in hoc statu

Suarez de Charitate.

per se constat: vbi enim deest charitas infusa, adest peccatum mortale, quod repugnat amicitie, at si loquamur de homine in puris naturalibus posset esse nonnullum dubium, quia esset inter Deum, & hominem mutus amor, &c. Vnde Aristoteles 8. Ethicor. capit. 12. cognoscit amicitiam excellentiæ inter nos, & Deum, tamen capit. 7. & 2. Magnorum moral. eam negauerat, & melius quidem; quia in eo statu non esset communicatio perfecta in ordine ad vnum finem honestum: vnde neque esset æqualitas ad amicitiam sufficiens, nam ita se gereret tunc Deus proportionaliter cum homine, sicut cum alijs rebus naturalibus atque adeo non vt amicus, sed vt absolute Dominus.

5. Dico quinto. Per actus naturalis amoris honesti erga proximum etiam requiritur habitus cuiusdam virtutis moralis inclinans ad similes actus: patet supponendo nos loqui de amore beneuolentiæ vnius hominis ad alios, qui amor potest esse honestus, si recta ratione reguletur, imo est fundamentum totius iustitiæ, & pacis. Denique ratio naturalis docet, vt quod mihi volo, idem velim alteri; nullus autem est, qui non velit ab alijs amari. Ad hæc, licet hi actus naturales sint ex inclinatione naturæ, tamen non sunt omnino faciles, quia amor proprius sæpe impedit valde amorem proximi, & similitet alie passionis maxime ex tali amore pullulantes: hinc ergo concluditur per hos actus generari habitum, qui præstet facilitatem, illumque esse virtutem, cum generetur per actus honestos, & teneat medium inter extrema. Confirmatur à contrario. Nam odium proximi generat habitum prauum, ergo expelletur per habitum contrarium. Vnde etiam fit, hunc habitum esse distinctum specialiter ab alijs, quia generatur per actus habentes specialem honestatem. Sed quæres, An hic habitus sit distinctus ab illo habitu amoris Dei, quem posuimus. Respondetur breuiter esse distinctum, ex fundamento posito in disputatione 1. sectione 3. vbi quoad hoc diuersam dedimus rationem inter amorem naturalem & supernaturalem.

SECTIO VI.

Vtrum amicitia humana acquisita sit virtus specialis?

1. Primum omnium reiicienda est illa sententia, quæ affirmat esse specialem habitum, negat autem esse specialem virtutem. Nam in obiecto, & actu huius amicitie est specialis honestas, & difficultas, & consequenter ipse habitus est studiosus, & specialis virtutis: atque ita sentiunt Gandauensis quodlibeto 10. quæst. 12. Paludan. in 3. dist. 27. quæst. 1. Aureolus apud Capreolum quæst. vnica. Eustratius in libro 8. Ethic. cap. 1. Buridan. ibidem quæst. 3. Altera tamen sententia negat esse specialem virtutem, sed quasi quid consequens omnes. Sic sentit Aristoteles 8. Ethicor. cap. 1. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 3. ad 1. & quæst. 114. artic. ad 1. quæst. 1. de virtutibus art. 2. ad 8. & in 3. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 1. vbi Capreolus quæst. vnica, art. 3. ad 1. contra 1. conclusionem. Caietanus 2. 2. quæst. 23. artic. 3. Fundamentum est, quia amicitia supponit honestatem, in qua fundatur: ergo supponit virtutes, ergo non est specialis virtus, sed quid consequens. Quod ita potest intelligi: nam vnaquæque virtus diligit proximum affectum simili virtute, quia ibi inuenit honestatem suam, ergo omnes virtutes simul sufficienter amabunt proximum sub omni ratione honesta.

2. Dico primo. Habitus ille acquisitus, quo amatur proximus amore naturali honesto, vere habet rationem amicitie humanæ, & in hoc sensu hæc amicitia dici potest specialis virtus. Prima pars

L. 1. 3.

proba-